6

AD AUDIENDAM

PUBLICAM DISPUTATIONEM

QUAM

VIR DOCTISSIMUS

OSCAR SCHLŒMILCH

PHILOSOPHIAE DOCTOR

D. IV. MAII MDCCCXLIV

MAGISTERII IMPETRANDI CAUSA HABITURUS EST

HUMANISSIME INVITAT

CAROLUS GOETTLINGIUS

PRO DECANO ORDINIS PHILOSOPHORUM.



Inest nova editio Legis de scribis, viatoribus et praeconibus quaestoriis, facta ad aeneam tabulam Neapolitanam.

IENAE,

TYPIS FRIDERICI FROMMANN.

Ante hos quattuor annos Neapoli quum essem praeter alias tabulas inscriptas romanae antiquitatis, in Museo Borbonico asservatas, descripsi etiam Legem sic dictam *de scribis, viatoribus et praeconibus quaestoriis.* Extemplo vidi quaedam continere hanc aeneam laminam, quae nullusdum, quod ego scirem, priorum editorum animadvertisset denuoque igitur edendae eius, si occasio ita tulisset, consilium cepi. Nam ipsum adeo, quod incredibile videbatur, rubrum huius Legis, quod ad sinistram partem superiorem laminae distincte sic legitur: VIII DE XX Q, ab omnibus peraeque editoribus neglectum, indicare videbatur, hanc tabulam esse partem aut ipsius Corneliae Legis, qua L. Cornelius Sulla dictator pro octo quaestoribus, quibus eo tempore romana respublica utebatur, viginti creari iusserat aut alius cuiusdam serioris, quae officia quaestorum XX denuo ordinasset. Ex ipso enim legis principio (Col. I, v. 1.) certo apparebat Q illud, quod post XX numerum in fronte superiore laminae legitur, notam esse pro *quaestoribus.* Prior numerus VIII quid significaret primo incertus haerebam donec in eodem Museo *Legem de Thermensibus Pisidis Maioribus* perlustrans (Hauboldi Monum. Leg. p. 135.) in eodem loco tabulae eodemque fere modo simile rubrum conspexisse mihi videbar hoc: „I DE TERMESI PISID MAI", de quo rubro omnes tacent editores, etiam *Dirksenius* (Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Römischen Rechts p. 188.); facilis igitur coniectura esse videbatur eo numero octavam tabulam Legis de XX quaestoribus significari, primam vero in Lege de Thermensibus. Atque alteram quidem opinionem de inventa octava tabula Legis Corneliae aliquanto post argumentis non sane levibus, ut mihi quidem videbatur, commotus iterumque accuratius inspecta Lege de Thermensibus, prorsus abieceram, quum novum scrupulum mihi iniiceret docta Theodori Mommsenii disputatio [1]); quae, dum in eo sum ut legem ipsam denuo edam, commode in manus meas tradita est. A Mommsenio enim primum didici, Antonium Augustinum ante tria paene saecula rubrum illud non solum legisse, sed eodem etiam modo interpretatum esse. Sic enim Mommsenius p. 4. *Ait* (Ant. Augustinus) *in libro de legibus ubi verba facit de variis exordiis legum* (p. 12. ed. pr., p. 9. ed. Lugd. 1592): *in tabula octava Corneliae de viginti quaestoribus: PRINCIPIVM· FVIT· PRO· TRIBV·* (conf. Frontinus de aquaed. c. 129.) *a quibus verbis nulla legum nobis servatarum incipit excepta hac de scribis. — Idem* (Ant. Aug.) *scribit ad Fulvium Ursinum d. XI Nov. MDLXXV (epistola exstat in opp. ed Luc. T. VII. p. 259.) postquam exposuit de duabus tabulis apud Capranicos servatis, huius nimirum et plebisciti de Thermensibus: in quella tavola dove sono quelle parole: PRINCIPIVM· FVIT· PRO· TRIBV· sono in margine* [2]) *queste note: VIII. DE. XX. Q.* [3]); *lequali io interpreto: octava de viginti quaestoribus. Dunque in sette altre tavole era la prima righa delle parole che mancano avanti queste parole PRINCIPIVM.*

Iam accipe rationes quae me commoverunt ut ab ea sententia, qua partem Legis Corneliae de quaestoribus continere fragmentum Borbonicum putaram cum Ant. Augustino, cuius gravis apud omnes auctoritas est, nunc fere desciverim. Descisse tamen etiam Augustinum a sua sententia probabile est eo, quod paullo post (p. 51.) de Legibus Corneliis singillatim agens ne mentionem quidem fecit huius tabulae inventae; item in litteris ad Ursinum datis fragmentum sibi videri *Legis Corneliae* non addidisse videtur. Ipsi enim mihi eo libro, in quo litterae eius inveniuntur, uti non licuit. Ac primum quidem animadvertendum est, *plebiscitum* esse hanc legem. Hoc evincitur inscriptione PRINCIPIVM· FVIT· PRO· TRIBV· In aes enim sic incidi solebant leges, ut plures tabulae aeneae, binis plerumque laterculis descriptae, aut horizontali ordine (sic enim licebit dicere) deinceps affigerentur clavis, aut verticali. Utram rationem praeferrent, loci natura, quo affigendae erant, docebat. Si horizontali serie tabulae iuxta ponendae erant, primus versus legis (in brevioribus etiam secundus et tertius) quo inscribi solebat quis legem rogavisset, quae tribus, qui vir primum

1) Ad legem de scribis et viatoribus et de auctoritate commentationes duae quas pro summis in utroque iure honoribus rite obtinendis d. IX Mens. Nov. publice defensurus est Theodorus Mommsen Oldesloensis. Kiliae 1843.

2) *ad sinistram in fronte superiore* ad fidem propius erat dicere, ut tabula ostendit, qua legem descripsimus.

3) Leve est, tamen memoratu haud indignum in ipsa tabula puncta quae inter singula vocabula posuit Augustinus me non vidisse. Legitur perspicue VIII DE XX Q

suffragium tulisset [1]), una continua serie per omnes tabulas grandioribus litteris ita extendi solebat; ut is, qui firmam stabilemque formam exordiorum legum non ignoraret, ne errare quidem in ordinandis tabulis posset. Versum primigenium deinde singulis tabulis latercula bina sequebantur brevioribus versibus minoribusque litteris. Si verticali ordine componendae tabulae erant, plenum exordium in prima tabula legebatur, cui deinceps, numeris appositis et capitibus, reliquae annecterentur. Utriusque rationis commoda exempla Mommsenius protulit, Monumentum Ancyranum graece versum (v. *Gerhard* Archäol. Zeitung I, 2.) et Legem Rubriam sic dictam (v. *Pietro de Lama:* Tavola Legislativa della Gallia Cisalpina. Parma 1820.). Vides igitur nostram tabulam ad illud genus pertinere, quod primo loco posui, coniunctamque fuisse cum aliis tabulis, quarum omnium versum primigenium continuum eodem fere modo habuisse quis coniiciat, ut in Plebiscito apud Frontinum, vel in Plebiscito de Thermensibus Pisidis Maioribus, vel in Lege Thoria. Unde sponte patet sic fere supplendam esse partem versus primigenii quam nos in tabula legimus: Tribus [Sergia] principium fuit; pro tribu [primus scivit C. Titius C. F. C. N.]. Atque haec formula ad sola comitia tributa pertinet, quorum prima tribus, sorte destinata, *principium* dicebatur (v. quae monuimus in Histor. Reip. Rom. p. 397.), quum in centuriatis comitiis *praerogativae* ubique mentio iniiciatur (v. Histor. Reip. Rom. p. 387.). Etiam illud *pro tribu primus scivit* ad sola plebiscita pertinet. Primus enim, voluntate eius qui legem rogabat, sciscere solebat is civis qui legem pro tribu suaserat (v. Manut. et Wunder. ad Cicer. Planc. 14. p. 118. Wund.); suadendi enim dissuadendique potestas, ut in comitiis tributis privatis dari solebat (v. Liv. XLV, 21. 36.), ita ab centuriatis comitiis aliena erat, in quibus soli auctores legum auditi sunt. (Liv. XXXI, 7. cf. Cic. pr. Flacc. 7.) Et, si vel maxime sumas etiam centuriatis comitiis hanc suadendi dissuadendique potestatem factam esse, quae non est facta, necessarium erat dicere *pro centuria primus scivit.* Iam vero si memineris, tributis comitiis omnem legum sciscendarum potestatem Sullam dictatorem ademisse, de qua re post alios dixi Histor. Reip. Rom. p. 464., num probabile tibi videtur legem Sullae de XX quaestoribus fuisse plebiscitum tributis comitiis latum, eundemque Sullam Col. II, v. 7. 17. nostrae legis plebiscita nova etiam in posterum valere iussisse? Accedit aliud. Tacitus (Annal. XI, 22.) ita de hac lege: *Lege Sullae* (quaestores) *viginti creati, supplendo senatui, cui iudicia tradiderat.* Vides quid spectaverit Sulla, quum ita numerum quaestorum augeret. Auxit quaestorum numerum propter auctum numerum praetorum et propter cooptationem senatoriam. At vero num probabile est Sullam, cui nihil praeter optimatium potestas curae cordique erat in constituenda republica, eundem igitur Sullam legem tulisse minutiarum plenam qualem habemus? Quid enim rogatur hac legis nostrae parte? Ante hanc legem rogatam quaestores aerarii ipsi scribas, et, ut videtur, viatores etiam et praecones in decurias legere solebant. V. Liv. XL, 29. *Et erat familiaris usus quod scribam eum* (L. Petillium) *quaestor Q. Petillius in decuriam legerat* legeruntque (hoc ex nostra lege concludere licebit si de scribis idem valebit quod de viatoribus et praeconibus, qui cum scribis plerumque coniunguntur ut Liv. XXX, 39.) ita, ut in tribus decuriis scribarum, viatorum, praeconum terni essent. Certe apud Gruter. p. DCXXVI, 7. est *Scriba librarius quaestorius III decuriae* et p. DCXXVII, 7. sunt *scribae librarii quaestorii trium decuriarum* et ita dicuntur etiam in Tab. Hercul. p. 117. Haub. Iam vero quid ista Cornelia? Unum [scribam] viatorem, unum praeconem adiici iubet ut quaterni postea sint in quaque decuria [scribarum] viatorum praeconum quae ternae erant quaestoribus ad aerarium per triennium apparentium, iubetque ut etiam in posterum legantur sublegantur a quaestoribus, eo ipso vero anno quo lata lex est, legantur sublegantur extra ordinem a consulibus, nominaque lectorum ut publice ad aedem Saturni in pariete intra caveas proponantur quemadmodum factum est ante hanc legem rogatam. Digniorne haec lex videtur Sullano tempore an pacatiori? Viatoribus et praeconibus tantam curam dicasse Sullam tam turbulentis temporibus quis putet? Sed addendum tertium est. Aerario inde ab initio reipublicae romanae duo quaestores praeerant, urbani postea dicti quum alii praeter hos instituti essent, qui rem militarem sequerentur. Cf. Liv. XXXVIII, 55. 58. XXXIX, 7. XLII, 6. In lege de scribis quaestoriis unus tantum quaestor aerarii commemoratur Col. I, v. 1. *Quaestor urbanus qui aerarium provinciam obtinebit;* et si ead. Col. v. 10. 15. 19. quaestores plures ad aerarium commemorantur, explicatur id ipso eo triennio, de quo agitur in lege. Eodem modo atque in nostra lege in Tab. Heracleensi v. 37. 39. 47. 48. invenimus *quaestorem urbanum eumve qui aerario praeerit,* quo non duo magistratus diversi significantur, quum eodem modo haec verba intelligi debeant atque decantatum illud *ex hac lege plebeivescito,* ut „Praetor isve qui Romae iuri dicundo praeerit“ et in Lege Rubria c. I, 29: „ex Lege Rubria seive id plebisvescitum est“ (II, 10.) „in

1) Posteris demum temporibus adiectum etiam locum esse, qua rogata lex esset, recte monuit *Borchingius* Instit. I. p. 21.

hoc monumento sive sepulcro" in inscriptt. Legis Thoriae, his omnibus antiquioris, in cuius capite 20 (apud Rudorffium) legitur *qui aerarium provinciam obtinebit* non audeo testimonium proferre pro maiore huius instituti antiquitate, quod suppleri etiam potest: *magistratus qui aerarium* cet. neque Aciliae fragmentum ubi legitur *Quaestorque ea nomina accipito* et *apud quaestorem ad aerarium*, quod alterum quaestorem urbanum non excludit. Concludendum igitur esset, si ad Legem Corneliam de XX quaestoribus hanc tabulam pertinere quis dixerit, Sullam sic ordinasse quaestorum provincias ut unus tantum aerario praeesset, ceteri aliis provinciis. Sed Sullanis etiam temporibus binos quaestores aerario praefuisse docet Cicero Verr. I, 14. nisi quis putet hoc ad illud tempus pertinere, quo lex de XX quaestoribus nondum lata esset.

His omnibus sed maxime eo commotus quod plebiscitum est Lex de qua dicimus, non adducor ut Legis Corneliae partem nos habere credam. Atque ante omnia monendum et non tantum videri deesse huic legi quantum ex VIII numero concludendum esse dixeris. Totam enim (hoc ex formula consueta versus primigenii divinare licet) non pluribus quam sex tabulis constitisse probabile est, ita ut tres nostram antecesserint, duae autem secutae sint. Quo igitur alio modo numerum VIII in indice tabulae explicandum esse putabimus? Animadvertendum est autem in iis legibus, quarum tabulae horizontali ordine coniungendae essent, numeris prorsus non opus fuisse quum certa formula primigenii versus, vario modo in variis legibus dispertita, ordinem tabularum satis indicaret, nihilque fuisse addendum nisi brevem argumenti indicem in margine. Hoc didici quum Legem de Thermensibus Pisidis Maioribus, quae ipsa sicut nostra tabula horizontalem seriem secuta est, diligentius postea inspexissem, quum tabulam accurate cum edito exemplari conferrem. Sic enim indicem habere plane intellexi L DE TERMESI PISID MAI i. e. Lex de Thermensibus Pisidis Maioribus, non I DE TERM. cet.; in Lege Rubria, cuius tabulae verticali serie coniunctae erant, numeri necessarii fuerunt, qui alio prorsus loco in intervallis laterculorum seu columnarum ibi inveniuntur. Sic igitur rem explicare conatus sum. Sulla octo quaestoribus qui fuerunt, duodecim militares addidit, additosque, antiquo nomine retracto, classicos dixisse videtur, qui consules et praetores in provincias sequerentur[1]). Dicti autem sunt a classe procincta, non a classibus populi romani, non a re navali. *Laurentius* enim *Lydus* de mag. I, 27. A. V. CCCCLXXXV duodecim classicos quaestores creatos esse qui dixit, recte a Niebuhrio (Histor. Rom. II. p. 484.) refutatus est, sed ipsa erroris causa, ut mihi quidem videtur, non satis explicata. Sullana enim tempora, quibus XII quaestores adiecti sunt, confudisse Lydus videtur cum temporibus Pyrrhi. Post Sullam Lege Titia (v. Cicer. pr. Muren. 8., vana est enim Pighii de tempore huius legis coniectura) quaestorum officia sic distributa esse videntur, ut XII quaestoribus classicis, quibus, utpote imperio consulum se praetorum subiectis, quum munera militaria antiquo more servarentur, non opus erat ut officia praescriberentur, VIII autem urbanorum seu italicorum (utroque enim modo dicti esse videntur; V. Cassius Dio LX, 24.) munera nova ratione ita ordinarentur, ut unus praeesset aerario (hoc postea mutavit Augustus: Cass. Dio LIII, 2. 32., donec Claudius binos quaestores antiquo more revocavit Cass. Dio. LX, 10. Suet. Claud. 14.), alter antiquo more Ostiam mitteretur ad frumentariam provinciam (Cic. pr. Muren. 8. pr. Sest. 17.), tertius Cales (Tacit. Annal. IV, 27.), quartus in Galliam Cispadanam (Plut. Sert. 4. Suet. Claud. 24. Cf. *Pighii* Annal. I. p. 463., *Rubino* Untersuchungen über römische Verf. u. Gesch. 1. p. 330.), quattuor reliqui in alias ut videtur colonias maritimas (certe Puteoli in his fuisse videntur, Cicer. Vat. 5.), unde aquariae provinciae dicebantur (Cic. Vat. 5.). Ad has octo urbanas seu italicas provincias missos fuisse eos candidatos qui primi suffragiis populi electi essent ex Ciceronis oratione pr. Murena concludo. Sic enim ille: „*Quaesturam una petiit et sum factus prior — Habuit hic lege Titia provinciam tacitam et quietam* (lectus igitur in classicis quaestoribus casu habuit *quietam* provinciam, quod belli materia in ea quam tenuit provincia abesset, *tacitam*, quod classicis non solebat acclamari) *tu illam, cui quum quaestores* (nempe seorsim VIII illi primi de italicis octo provinciis, seorsim classici de magistratu cui attribuerentur) *sortiuntur etiam acclamari solet, Ostiensem.* Haec si omnia recte habent, index Legis Titiae (ad hanc enim tabulam nostram pertinere, non ad Corneliam puto) ita habuisse videtur, ut antecedentis tabulae inscriptione dextra cum nostrae coniuncta sic legeretur: L. DE OFF PRIM VIII DE XX Q i. e. Lex de officio primorum octo de XX quaestoribus. Jam ipsam tabulam addere placet.

1) A multis et a me ipso (Histor. Reip. Rom. p. 467.) explosa est sententia Pomponii, qui decem praetores institutos esse a Sulla dixit. Sed non multum abest, quin verear, ne verum dixerit Pomponius, quum X praetorum numerus optime conspiret cum numero quaestorum classicorum recens a Sulla institutorum. Duo enim quaestores classici in provincias sequebantur duos consules, decem quaestores classici decem praetores.

VIII DE XX Q

PRINCIPIVM FVIT

Q· VRB· QVEI· AERARIVM· PROVINCIAM· OPTINEBIT· EAM MERCEDEM· DEFERTO· QVAESTORQVE· QVEI· AERARIVM· PROVINCIAM OPTINEBIT· EAM· PEQVNIAM· EI· SCRIBAE· SCRIBEISVE· HEREDIVE EIVS· SOLVITO· IDQVE· EI· SINE· FRAVDE· SVA· FACERE· LICETO· QVOD SINE· MALO· PEQVLATV· FIAT· OLLEISQVE· HOMINIBVS· EAM PECVNIAM· CAPERE· LICETO

COS· QVEI· NVNC· SVNT· IEI· ANTE· K· DECEMBREIS· PRIMAS· DE· EIS· QVEI CIVES· ROMANEI· SVNT· VIATOREM· VNVM· LEGVNTO· QVEI· IN EA· DECVRIA· VIATOR· APPAREAT· QVAM· DECVRIAM· VIATORVM EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· PRIMEIS· QVAESTORIBVS· AD· AERARIVM APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT· EI DEMQVE· COS· ANTE· K· DECEMBR PRIMAS· DE· EIS· QVEI· CIVES· ROMANEI· SVNT· PRAECONEM· VNVM LEGVNTO· QVEI· IN· EA· DECVRIA· PRAECO· APPAREAT· QVAM DECVRIAM· PRAECONVM· EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· PRIMEIS QVAESTOBIBVS· AD· AERARIVM· APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT DEINDE· EIDEM· CONSVL· ANTE· K· DECEMBRES· PRIMAS· VIATOREM VNVM· LEGVNTO· QVEI· IN· EA· DECVRIA· VIATOR· APPAREAT· QVAM DECVRIAM· VIATORVM· EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· SECVNDEIS QVAESTORIBVS· AD· AERARIVM· APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT EIDEMQVE· COS· ANTE· K· DECEMBREIS· PRIMAS· PRAECONEM VNVM· LEGVNTO· QVEI· IN· EA· DECVRIA· PRAECO· APPAREAT· QVAM DECVRIAM· PRAECONVM· EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· SECVNDEIS QVAESTORIBVS· AD· AERARIVM· APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT DEINDE· EIDEM· COS· ANTE· K· DECEMBREIS· PRIMAS· VIATOREM VNVM· LEGVNTO· QVEI· IN· EA· DECVRIA· VIATOR· APPAREAT QVAM· DECVRIAM· VIATORVM· EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· TERTIEIS QVAESTORIBVS· AD· AERARIVM· APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT EIDEMQVE· COS· ANTE· K· DECEMBREIS· PRIMAS· PRAECONEM VNVM· LEGVNTO· QVEI· IN· EA· DECVRIA· PRAECO· APPAREAT· QVAM DECVRIAM· PRAECONVM· EX· NONEIS· DECEMBRIBVS· TERTIEIS QVAESTORIBVS· AD· AERARIVM· APPARERE· OPORTET· OPORTEBIT EOSQVE· VIATORES· EOSQVE· PRAECONEIS· OMNEIS· QVOS· EO ORDINE· DIGNOS· ARBITRABVNTVR· LEGVNTO· QVAM· IN· QVISQVE DECVRIAM· ITA· VIATOR· LECTVS· ERIT· IS· IN· EA· DECVRIA· VIATOR ESTO· ITEM· VTEI· CETEREI· EIVS· DECVRIAE· VIATORES· ERVNT QVAMQVE· IN· QVISQVE· DECVRIAM· ITA· PRAECO· LECTVS· ERIT IS· IN· EA· DECVRIA· PRAECO· ESTO· ITA· VTEI· CETEREI· EIVS· DECVRIAE PRAECONES· ERVNT· SIREMPSQVE· EIS· VIATORIBVS· DEQVE EIS· VIATORIBVS· Q· OMNIVM· RERVM· IVS· LEXQVE· ESTO· QVASEI SEI· EI· VIATORES· IN· EAM· DECVRIAM· IN· TRIBVS· VIATORIBVS ANTEA· LECTEI· SVBLECTEI· ESSENT· QVAM· IN· QVISQVE· DECVRIAM

PRO TRIBV

EORVM· EX· HAC· LEGE· VIATOR· LECTVS· ERIT· SIREMPSQVE· EIS PRAECONIBVS· DE· QVE· EIS· PRAECONIBVS· QVAESTORI· OMNIVM RERVM· IVVS· LEXQVE· ESTO· QVASEI· SEI· EI· PRAECONES· IN· EAM DECVRIAM· IN· TRIBVS· PRAECONIBVS· ANTEA· LECTEI· SVBLECTEI ESSENT· QVAM· IN· QVISQVE· DECVRIAM· EORVM· EX· HAC· LEGE PRAECO· LECTVS· ERIT

QVOS· QVOMQVE· QVAESTORES· EX· LEGE· PLEBEIVE· SCITO· VIATORES LEGERE· SVBLEGERE· OPORTEBIT· EI· QVAESTORES· EO· IVRE· QVA· LEGEQ VIATORES· IIII· LEGVNTO· SVBLEGVNTO· QVO· IVRE· QVA· LEGEQ QVEI· NVNC· SVNT· VIATORES· III· LEGERVNT· SVBLEGERVNT· QVOSQVE QVOMQVE· QVAESTORES· EX· LEGE· PLEBEIVE· SCITO· PRAECONES· LEGERE SVBLEGERE· OPORTEBIT· EI· QVAESTORES· EO· IVRE· EA· LEGE· PRAECONES IIII· LEGVNTO· SVBLEGVNTO· QVO· IVRE· QVA· LEGE· QVAESTORES· QVEI NVNC· SVNT· PRAECONES· III· LEGERVNT· SVBLEGERVNT· DVMNI· QVEM IN· EIS· VIATORIBVS· PRAECONIBVS· LEGVNDEIS· SVBLEGVNDEIS· IN· EIVS VIATORIS· PRAECONIS· LOCVM· VIATOREM· PRAECONEM· LEGANT SVBLEGANT· QVOIVS· IN· LOCVM· PER· LEGES· PLEBEIVE· SCITA· VIATOREM PRAECONEM· LEGEI· SVB· LEGI· NON· LICEBIT· ITAQVE· DE· EIS· QVATTVOR VIATORIBVS· QVAESTOR· QVEI· QVOMQVE· ERIT· VIATORES· SVMITO HABETO· VTEI· ANTE· HANC· LEGEM· ROGATAM· DE· TRIBVS· VIATORIBVS VIATORES· HABERE· SVMERE· SOLITEI· SVNT· ITAQVE· DE· EIS· QVATTVOR PRAECONIBVS· QVAESTOR· QVEIQVOMQVE· ERIT· PRAECONES· SVMITO HABETO· VTEI· ANTE· HANC· LEGEM· ROGATAM· DE· TRIBVS· PRAECONIBVS PRAECONES· HABERE· SVMERE·.SOLITEI· SVNT· ITEMQVE· EIS· VIATORIBVS PRAECONIBVS· QVEI· EX· HAC· LEGE· LECTEI· ERVNT· VICARIVM· DARE SVBDERE· IVS· ESTO· LICETOQVE· VTEI· CETEREIS· VIATORIBVS· PRAECONIBVS QVA· IN· QVISQVE· DECVRIA· EST· VICARIVM· DARE· SVBDERE· IVVS· ERIT LICEBITQVE· ITEMQVE· QVAESTOR· AB· IEIS· VICARIOS· ACCIPIVNTO VTEI· A· A· CETEREIS· VIATORIBVS· PRAECONIBVS· VICARIOS· ACCIPEI OPORTEBIT

VIATORES· PRAECONES· QVEI· EX· HAC· LEGE· LECTEI· SVBLECTEI· ERVNT EIS· VIATORIBVS· PRAECONIBVS· MAGISTRATVS· PROVE· MAG MERCEDIS· ITEM· TANTVNDEM· DATO· QVANTVM· EI· VIATOR PRAECONEI· DAREI· OPORTERET· SEI· IS· VIATOR· DE· TRIBVS VIATORIBVS· ISQVE· PRAECO· DE· TRIBVS· PRAECONIBVS· ESSET QVEI· ANTE· HANC· LEGEM· ROGATAM· VTEI· LEGERENTVR INSTITVTEI· SVNT

QVAS· IN· DECVRIAS· VIATORVM· PRAECONVM· CONSVL· EX· HAC LEGE· VIATORES· PRAECONES· LEGERIT· QVORVM· VIATORVM PRAECONVM· NOMINA· IN· EIS· DECVRIEIS· AD· AEDEM· SATVRN● I IN· PARIETE· INTRA· CAVIAS· PROXVME· ANTE· HANC· LEGEM

Col. I, 1. OPTINENT Sigonius.

– – 2. DEFERTO. Sermo est de rationibus. Cf. Plebiscitum apud Frontinum de aquaed. Mercedis huius meminit etiam is qui *Cicer.* Cat. IV, 7. post verba: *ab exspectatione sortis* addiderat *ab amore debitae pecuniae* et ipse *Cicero* Verr. III, 79. *parva mercede populi conductus.*

Col. I, 5. PECVNIAM Sig.

– – 5. Sig. hunc versum cum sequenti coniunxit, apud Smetium v. 5. cum vocabulo *pecuniam* finitur.

– – 7. DECEMBRIS Sig. Postea pro EIS Smet. IEIS.

– – 10. NONEIS· DECEMBRIBVS· PRIMEIS. Ita dicebant a certo quodam tempore numerantes. Ita Liv. XXIII, 32. Ante Kal. Iunias primas, Tabul. Heracl. v. 56. post K. Ianuarias primas, v. 81. post K. Ianuar. secundas, v. 98. post K. Quinctiles primas. Recte praeterea Mommsenius 1. l. p. 6. ostendit ex hoc loco et ex Cicer. Verr. I, 10. (30.) et Schol. Gronov. p. 395. Orell. comprobari quaestores Nonis Decembribus iniisse magistratum, unde explicationem valde laudabilem petiit loci Ciceroniani Catil. IV, 7. ubi de exspectatione sortis scribarum dicitur. Sustentatur loco Schol. Bobiens. p. 332. (Or.) ubi ita: Apud aerarium sortiri provincias et quaestores solebant et scribae, ut pro certo appareret in quam provinciam vel cum quo praeside proficiscerentur.

Col. I, 11. EI DEMQVE. Casu factum est intervallum inter EI et DEMQVE. Sig. Smet. EIDEM.

– – 21. QVI Sig.

– – 35. VT· EI· CETERI Sig.

– – 37. VT· EI Sig.

– – 38. Apographum Vaticanum huius inscriptionis quod prius perlustraveram quam Neapolim perveni, habet SI· REMPSQVE, hic et Col. II, 1. Sed plane SIREMPSQVE in ipsa tabula legi postea vidi. Eodemque modo Siremps (non SIREMES) scriptum esse in Lege Thoria et in Servilia vidi atque ita etiam in fragmento Legis Aciliae, ut voluit (v. *Haubold* Monum. leg. p. 75.). Festus loco mutilo (p. 344 Muell.) dicit esse *eadem* (lex) vel *proinde ac si*, pro quo ego prius *perinde* legendum esse putabam quod hoc adverbio pro siremps plerumque Livius utitur, ut XXXI, 32. ut perinde ius ratumque sit ac si in Panaetolico concilio actum esset, XXXI, 50. Plebs scivit ut perinde esset ac si ipse aedilis iuravisset; sed prorsus ita *proinde ac si* Lex Rubria Col. I, v. 17. Utrique contrarium est in antiquis legibus *aliuta* (pronuntiabant enim antiqui *aliut*), de quo Paullus Diaconus ex Festo dixit. De vocabulo *Siremps* disputavit *Lindemannus* ad Plaut. Amphitr. Prolog. 73., ubi a Scaligero repositum est *Sirempse legem,* quanquam ipsum vocabulum in antiquis legibus et apud Senecam casu recto tantum invenitur. *Charisius* praeterea Inst. Gr. I, p. 73. (p. 52. Lindem.) p. 116. (82.) sirempse ablativum novisse videtur. *Lindemannus* pro pronomine habet composito ex *si* pronomine tertiae personae, et *res* et *pse* quod postremum adhuc superesse dicit in reapse, eapse, eampse, eumpse. Est igitur secundum *Lindemannum siremps* et *sirempse* ea res ipsa; postea factum est usu, ut fieret indeclinabile significans *idem, eadem.* Aliter *Pottius:* Etymol. Forsch. II. p. 41. qui e radice sanscrita *sama* (idem) derivare conatur, *ps* idem putans esse quod *pte, pote, Doederlinus* (Handb. der lat. Etym. p. 172.) cum *ἀρμός* (*ἀρμόζει*) componit, *Handius* ad *si* demonstrativum *(sic enim exortum esse ex si-ce), rem* accusativum aut *re* ablativum et ad *se* pronomen revocare studet (cuius monstrativa significatio in reflexivam postea transierit) e quo factum sit *pse* ut *ipse* ex *ispse,* esse igitur *rei ratione hoc idem, der Sache nach dasselbe,* denique *G. Hermannus* compositum esse putat ex *si rem ipsam* (spectas), quod simplicissimum esse videri possit nisi alio nos duceret recentiorum legum usus. Nam C. Caesaris tempore haec vox pro obsoleta habita est, quemadmodum in Lege sic dicta dedicationis (Haub. p. 142, 10. 11.) pro ea invenitur *eadem lex,* et in Lege Rubria, quae post C. Caesaris mortem lata est, Romanos legislatores pro caeco *siremps* dixisse *sic res,* (ut *quips* dixerunt antiqui pro *quis*) demonstrari posse videtur. Ita enim Col. II, v. 10. DEQVE· EO· QVOI· EAM· PECVNIAM· D· O· S· RES· LEX· IVS· CAVSSAQVE· O· O· R· ESTO· pro quo v. 40. scribitur S· L· R· I· C· Q· O· O· R· E· i. e. *sic lex, res, ius* cet. Nam notas has S· L· E· I· C· Q· O· R· E· si Valerius Probus eumque secutus Brissonius de Form. p. 132. significare dicit *Siremps lex ei ius caussaque omnium rerum esto* certe id reprobetur aliquo modo Lege Rubria in qua S· RES· LEX· IVS· CAVSSAQVE· O· O· R· ESTO quis credet significare posse *siremps res, lex* cet.?

Col. I, 38. DE· QVE Sig.

– – 39. VIATORIBVSQ· OMNIVM Sig. Sed VIATORIBVS· Q· est *viatoribus quaestoriis.*

– II, 8. EO· IVRE· EA· LEGE Sig.